DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
PHTHISI PULMONALI
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS FARQUHARSON,

JAMAICENSIS,

SOCIET. MED. REG. EDIN.

SOC. ORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

THOMÆ FARQUHARSON,

De Percy

Armigero,

BENEVOLENTIA, VIRTUTIBUSQUE HIS,

CIVEM QUÆ HONESTUM ORNENT PRIVATUM,

INSIGNI;

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

MEMOR BENEFICIORUM,

D. D. Cque

AUCTOR.

——— Why do I overlive?
Why am I mock'd with death, and lengthen'd out
To deathless pain? How gladly would I meet
Mortality my sentence, and be earth
Insensible; how glad would lay me down
As in my mother's lap? there I should rest
And sleep secure. ———

Milton, *Par. Lost.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

PHTHISI PULMONALI

COMPLECTENS.

ALIQUID novi proponendum, plerique ut scribant, incitat: ego tamen rem medicam sum tractaturus, utì leges hujus Academiæ poscunt, aliorum experientiâ, minimè meâ, instructus.

Morbus, quem, ut nunc præcipuè considerarem, selegi, est affectio illa pulmonum, vel tabes, ubique gentium cognita, quem, ut

 dicit

dicit Celsus elegantissimus *, "Græci φθίσιν "nominant." Res sanè maturo ingenio digna, et nequaquam ad ætatem meam apta; itaque quod possim, sed nec quod debeam, nec quod velim, promitto.

HISTORIA MORBI.

Historiam hujus morbi variis modis confecerunt auctores, secundum varios casus quos quisque aut tractaverit aut viderit; morbus hic scilicet, tantâ formarum varietate gaudet, ut vix ac ne vix quidem historia quælibet omnes complecti possit. Ex his formis mihi unam describere stat, quippè quæ cursu tardissimâ tamen omnium est perniciosissima, quæque tam ægrum tam medicum fallit. Quædam alia, ut videbitur, adjuvam.

Ineunte

* Vide Celsi, lib. i. cap. 1.

Ineunte ætate præsertim pubertate, dolor lateris, angustia pectoris quædam et tussicula adsunt, sed non semper; et quicquid, in faucibus, in bronchiis, in lateribus, mali contrahitur, irritat. Ita affectus neque currere neque ascendere eâ facilitate potest, quâ cæteri: interdum de difficultate respirandi causâ incognitâ conqueritur; tali in casu asthma et insomnia haud rara, et hyeme, vere, autumno, catarrhus sæpissimè vexat; tussisque interdum vomitus excitat. Eadem malà, plùs minùsve severa, viginti etiam per annos aut plures redierint; tandem æger, omnia sensim pejora facta, sentire incipit.

Tussis nunc mane, vespere, sæpè etiam noctu, molestiæ est maximæ; si corpus movetur, dyspnœa statim supervenit, et inter somnum imaginibus horrendis, periculis instantibus mentem perturbat; macer fit ille evidentissimè, et aëre frigido aut frigore, expallescit et tremit; mane vomit, comedere nolit, et cibus gustui quodammodò amarus. Infirmus nunc

nunc admodum est æger, et tristis ; adhuc pulsus tamen arteriarum, fermè ut in salute, sunt ; alvus sæpè adstricta : brevi autem tempore pulsus numero augentur ; nunc frigescit nunc calescit corpus ; in noctem palmarum et plantarum calor multùm urget. Dolet variis in partibus thorax, tussis sicca vel cum sputo mucoso. Æger non eâdem facilitate in utrumque latus decumbere potest, neque, ullo pacto pleniùs inspirare. Constat dyspnœa, sed tussis intervallis variis impetu accedit. Oculi colorem margaritæ induunt, interdum striis rubris pulchri ; dentes albescunt ; lingua et fauces rubescunt ; sitis augetur, appetitus ciborum diminuitur ; vultus genis absque expallescit, quas occupat rubor inconstans.

Morbus indies fit severior ; tussis, dyspnœa, calor, vix sunt toleranda ; quiete non gaudet neque gaudere potest æger ; pulsus arteriarum fortes et celeres sunt, et febre præsenti,

totus

totus vultus rubescit; aphthæ citò in faucibus, lingua, et membranis oris, apparent.

Tandem horrores superveniunt: pulsus molliores, mitiores, tardiores, interdum quoque et intervallo et vi inæquales.

Omnibus signis nunc mitioribus, se meliùs habere credit æger. Oculi iterum colore margaritas quodammodo referunt; summa macies oritur; collabuntur tempora; pus multum exspuitur: nunc maximè calescit, nunc maximè frigescit æger; frigori accedunt horrores, sputa liquida, nausea, vomitus, vitæ tædium, anxietas vultûs; haud raro delirium mitius: variant multùm pulsus debilissimi; inde sequitur febris quâ animus fit hilaris; cibus interdum gratus, minùs, quod exspuitur, liquidum; minùs variant pulsus fortiores; sæpè mens ferocitèr insana, quæ omnia sudoribus maximis terminantur. Albi inter remissiones, rubri inter febres, quidquam continet urina: motu alvus facilis. Meridiè

ac vesperè accessit febris. Pedes in noctem tument; posteà supinus æger, porrectis manibus et cruribus jacet; pus mali moris exspuit, vix excreat; vomitus varius et multorum colorum est; præcipùe malus in hoc odor est.

Ad ultima jam ventum esse, testantur nares acutæ, collapsa tempora, oculi concavi, color vultûs perpallidus, spiritus frigidus, sudores incerti, et talia, indicia mortis instantis.

CADAVERUM INSPECTIO.

QUÆ se obtulerunt phthisi interemptorum cadavera scalpello perscrutantibus, varia sunt admodum et mirifica. Pulmones duritie specieque tendinem et carnem retulerunt; lobi inflammatione coaluerunt *. Sæpè pulmo lateris alterius impos diu fuisse functionis, interdum

* Cujus specimen habet Dr Barclay.

interdum etiam omninò * deletus videtur: in his reperiuntur tuberculi tumoresque omnis fermè generis, et quicquid denique afferunt maximè horrendi, et gangræna et sphacelus: quod profectò viscus majora perpeti potest? †

DEFINITIO.

Etsi phthisis omnes gentes, omnes regiones infestat, et multùm cadaveribus incisis explorata, tamen medici frustrà hujus rationem reddere adhuc conati, et naturam non intelligi, vel potiùs ignorari, satis testantur systemata nosologica. Cullenus etiam, primus omnium qui in ordinem morbos redigerunt, quanquam hæmoptysin sæpènumero non sequitur, eam esse hæmoptyseos sequelam, voluit ita definitam:

* Vide Platerum.

† Vide Morgagni de Sedibus et Causis Morborum, Ep. x. Art. 19.; xx. Art. 60.; xxii. Art. 12. 19., &c.

nitam: "Corporis emaciatio et debilitas, "cum tussi, febre hecticâ, et plerumque ex-"pectoratione purulentâ."

QUÆ MORBO OPPORTUNUM CORPUS REDDUNT.

ÆTAS, temperamentum, habitus, sexus, forma, in hâc re multùm valent. A pubertate morbus ad annum quadragesimum maximè grassatur; attamen nulli ferè ætati parcit. Habitum debilem, gracilem; temperamentum sanguineum; sexum muliebrem; pulchritudinem, præfert insidiosa pestis. Ab hac caveant quibus sunt collum longum, thorax angustus, labes parentibus orta, et scrofula. Huic summùm, ut cæteris morbis, maxima infirmitas maximè est obnoxia.

QUÆ

QUÆ MORBUM FACIUNT.

Omnia, quæ hunc morbum concitent, referre minimè possum; præcipua tantùm narraturus.

Acria quævis in ramulos bronchiarum delata; tubercula pulmonum scrofulâ affectorum; morbi omnes inflammatorii, qui pectus intùs occupant, aut illùc extenduntur, ut pneumonia, catarrhus, quibus addetur fortassè asthma. Non prætereunda certè hæmoptysis, quæ ab antiquissimis temporibus nonnunquam hunc morbum et antecedere et comitari observata fuit; eundem inducunt quoque aliæ affectiones multæ, ut variola, rubeola, scarlatina, lues venerea.

QUIBUS SIGNIS DISTINGUITUR PHTHISIS.

EAM si attentè quis considerat, vix falletur; nam ut catarrhus hyeme et autumno gravior, sed non ut ille ætate tollitur; pneumonia idem viscus invadit, sed paucis diebus aut cedit aut necat violentissima: longè aliter cum phthisi est: Asthma accessionibus revertitur, quum tam vehemens est, ut spirare æger, anteà penè sanus, sine sono et anhelatione non possit. Empyema affectionem hujus generis plerumque sequitur, et vix separetur oportet.

Præcipuas affectiones, quæ phthisin imitantur, quatenùs meminerim, suprà protuli; tamen de hac re vix dubitari potest, cùm febris, ita a CULLENO quàm accuratissimè scripta, accedat: "Febris quotidiè revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rariùs apyrexiâ, matutinâ; plerumque sudoribus

doribus nocturnis, et urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente."

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

SINGULORUM omnium ut ratio reddetur, scientia deficit: pauca tantùm, quæ intellectu videantur faciliora, explicare conabor.

Incipiente morbo, tussim concitant tubercula pulmonibus infesta, et quæcunque alia intùs irritant; posteà quoque aut pus aut mucus spissus, aut sanguis, quæ bronchiarum ramulis insunt; prætereà cùm, nè liberè aër vitalis sanguini ibi mutando admittetur, impediant, ex his fit anhelatio, sæpè musculis laryngis se contrahentibus gravissimè aucta.

Febrem faciunt tubercula, aut tumores, aut partes quævis in suppurationem abituræ, quo facto plerumque omnia levantur et pus multum excreatur.

Pulmonum

Pulmonum vitæ mortalium custodiarum functio depravata nutritionem corporis totius corrumpit; indè macies, alvus fluens, et sudores maximi; pus absorptum, corpus magnoperè debilitatum, vasa exhalantia præter naturam laxata, sequuntur.

Pure absorpto, pulsus citatiores reddi quidam volunt; sed antè, haud raró pulsus et celerrimi et firmi sunt.

QUÆ NOTÆ VEL SPEM VEL PERICULUM OSTENDUNT.

In hoc pulmonis morbo, si sputo ipse levatur dolor; si pus læve, album et unius coloris est; et quo effuso febris protinùs conquievit, desieruntque urgere cibi fastidium et potionis desiderium, potest ei secunda valetudo contingere. Longè optimum est febrem omninò non esse; secundum est tantulùm esse, ut neque cibum impediat neque crebram si-

tim

tim faciat. Si spiritus facilis, si venter medicamentis movetur, si urina colore naturali, si corpus sine lassitudine est, et morbum facilè sustinet; siquidem in quo omnia aut plura ex his sunt, is in bona spe est: contrà, si adsint signa severiora, quæ finem versus historiæ narrantur, pessimum est.

Cùm sanguis exspuitur, id modò minus, modò plus periculi habet; exit enim modo ex gingivis, modò ex ore; nonnunquàm is aut a faucibus, aut a ventriculo, aut a pulmone fertur; a quo illarum partium processerit, nostra dignoscere multùm interest: si exit a pulmonibus *, spumans plerumque est; sed si febris non subsequatur, nec puris sputum † minus ostendit periculi, testibus HIPPOCRATE ‡ et CELSO.

Si

* Vide HIPPPOCRATIS Αφ. ιγ'. Οκόσοί αἷμα ἀφρῶδες πλύουσὶ, τουτεοισιν ἐκ του πνευμενος ἡ αναγωγὴ γίνεται. GALEN, Comment. v.

† Vid. HIP. Aph. xv. Comment. GALENI vii.

‡ Vid. COAC. Prænot. 427.

Si peripneumoniam vomicâ cum febre excipit, plerumque in tabem et mortem desinit. Insania et graviditas morbum submovere visæ sunt; cur, aut quomodo, quis dicat? ferè tamen auctis viribus rediit.

Medicorum pertinaciter obstant tubercula arti. Denique an sit unquam omninò sublata remediis phthisis pulmonum, nescio.

CURATIO.

Cognitis indiciis, quæ nos vel spe consolentur, vel metu terreant, ad curationem transeundum est.

Morbus etiamsi verè insanabilis credatur, sæpè est tamen ut ægro plurimùm prosimus, interdum certè, ut vita diu servaretur, ars efficit. Historia tria phthiseos stadia planè docet. *Primum,* ubi inflammatio aut adest

aut

aut appropinquat: *Secundum*, ubi pus gignitur: *Tertium*, ubi gangræna aut imminet aut adest.

Primo, quicquid irritet, quicquid sive animum, seu corpus, seu fluidorum corporis motum, nimiùm concitet, sedulò evitandum; itaque cibus exiguus esse debet et levis, ut nutriatur satis, non eo calescat corpus. Sorbitiones quibus lac sit adjectum, ex ptysana vel ex alica vel ex amylo, et gratæ et utiles sunt. Sit exercitatio quoque modica semper intra fatigationem et lassitudinem, quæ augeatur, prout vires ægri redeunt. Utilia sunt in omni tussi, peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes *. SYDENHAMUS equitationem multis laudibus extulit, utpotè quæ tabem pulmonum haud secùs vincat ac febrem intermitentem cortex Peruvianus, aut luem veneream hydrargyrus; quod eheu! experientia

* Vide CELS. lib. iv.

rientia minimè confirmavit. Doctor CARMICHAEL SMYTH quoque jactationem pensilem multùm laudat : an melior sit equitatione nescio.

Ex tempestatibus, æquales anteponendæ, nam pessimæ quæ variant maximè; quapropter divites, hoc malo laborantes, optimè regiones et insulas calidiores petunt, ubi æqualitas regnet, et ver quasi perpetuum; ubi tamen ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, simul etiam vespertinis frigus est; quæ utraque noxia sunt.

Si signa inflammationis suboriuntur, sanguis mittendus, et omnia quæ febrem et suppurationis periculum minuunt, strenuè adhibenda : quo tempore inimicissima sunt acriora omnia, conclave calidum et inclusum, etiam multa vestimenta corpori injecta.

Secundo,

Secundo, cùm pus planè gignatur, fractis viribus, ne ulcera in gangrænam ruant, succurrendum. Præter hæc necessaria sunt quies, securitas, silentium, dum intereà ne inflammatio sæviat cavendum; itaque ut res poscat, dare aut omittere, quæ functiones vitæ promoveant, debemus.

Tertio, cùm gangræna minetur, omnia, quæ functiones vitæ suscitent, profusè administranda; attentissimè tamen et cautè, ne nimiùm noceant; cùm profectò gangræna partes occupaverit, res planè desperata est, sed nunquàm non sive subsidio, sive levamini periclitantibus simus, oportet.

Curationis principium et rationem certis stadiis aptam exposui; nunc quibus modis signa severiora sint levanda, quàm brevissimè expediam.

Cùm dolet caput et concoctio planè depravata, utilis est vomitus, ad quem excitandum

apta sunt ipecacuanha, tartris antimonii, et sulphas zinci.

Cùm sit cutis sicca et arida, et pectus sensu quasi constrictum, sudor elicitandus; cui prosunt, balneum, pulvis ipecacuanhæ cum opio, acetis ammoniæ, &c.

Cùm dolor pectoris, et angustiæ sensus, et anhelatio adsint, quàm utilissima sunt exulceratoria; intereà quoque purgantia mitiora, ut alvus mollis præstetur, exhibenda, qualia sunt, oleum ricini, supertartris potassæ, et phosphas sodæ, rheum palmatum, tamarindi Indicæ fructus conditus, aut ejusdem infusum.

His remediis autem quàm cautissimè utamur, ne superveniat infirmitas perniciosissima.

Ad tussim sedandam, dolores submovendos, et somnum inducendum, omnium præstantissimum est opium.

Si

Si omnibus frustrà tentatis supervenerint sudores maximi, et alvus fluens, opium, cortex Peruvianus, acidum sulphuricum, vinum, omnia denique, quæ reprimant, roborent, adstringant, optimè administrantur.

De quibusdam remediis nuper propositis, ut cicuta, digitali purpurea, muriatibus barytæ et calcis, quod utiliter dicerem, non habeo.

Quod potuerim, feci, et, veniam poscens, finio.

